

itates significauit. Suntq̄ nunc anni nonaginta no-
uem, ex quo Lutherus primum in lucem editus,
& die Martini, Filio Dei per lauacrum regene-
rationis in templo Petri insertus fuit, accipiens
nomen conueniens suae uocationi & militiae, sum-
tum à recordatione Martini Pannonij, militis
Gallici sub Iuliano, de quo scribitur, quod men-
dico, quem in Ambianorum urbe, media hye-
me in platea pleriq̄ surdis auribus praterierant,
partem sagi militaris, quo amictus erat, gla-
dio abscissam dederit, & sequenti nocte Chri-
stum illo ipso sago vestitum, & Angelis dicentem,
se hac veste à Martino donatum esse, conspexerit:
qua de causa ipse relictis castris ad veram militi-
am ministerij diuini se contulit, & ab Hilario
Episcopo Pictauiensi presbyter ordinatus, postea in
Episcopum Turonensis Ecclesiae electus fuit, quam
annos viginti sex fidelissimè rexit, & cum Ambro-
sio & Hieronymo in Concilio congregato ab Impe-
ratore Maximo Treueri fuit, & anno 412. sub Ar-
cadio & Honorio Impp. placidissimè obiit, inqui-
ens: Domine, si tuo populo sum necessarius, non
recuso laborem: sin aliter vis, idem volo: fiat vo-
luntas tua.

Cum autem indoles ad literas & virtutem
egregia, statim in puero Luthero elucesceret, paren-
tes eius, quorum facultates essent mediocres, eum
primum in scholam puerilem Islebianam, & de-
inde in Magdeburgicam scholam miserunt, ubi